

Die Urkunden der Burgundischen Rudolfinger, 9

In nomine sanctae et individue trinitatis. Rodulfus ordinante divino munere serenissimus rex. Si servorum dei iustis postulacionibus celsitudinis nostrae aurem achcommodaverimus et, quod pie et rationabiliter petunt, benigne et clementer concesserimus, hoc nobis profuturum in presenti vel in futuro minime dubitamus. Idcirco notum esse volumus omnium fidelium nostrorum sollercie tam presencium quamque futurorum, qualiter vir venerabilis Berno videlicet reverentissimus abbas adiit nostram magnitudinem petens nos, ut quendam locum Gigniacum, quem ipse abbas et sui confratres tenent vel construunt regulariter, rebus proprietatis nostre ditaremus; quod libenter fecimus. Donamus itaque pro haeterna retribucione ad iam dictum locum in honore beati Petri apostoli constructum vel ipsi apostolorum principi Rome subditum res, quas postulavit abbas predictus, hoc est in comitatu Scutindis quandam cellam nomine Balmam, ubi fluvius Sallie surgit, quam ipsi monachi prelibati ad fundamentum reaedificaverunt, in prefato eciam comitatu cellulam quampiam, in qua sanctus Lautenus confessor preciosus requiescit, in ipso eciam comitatu quandam villam nomine Cauanacum et Clemenciacum cum omnibus suis appendiciis, que ad dictas cellas iuste et legaliter pertinere videntur vel ad dictam villam in rebus vel mancipiis, cum omni integritate ad sepe dictum locum Gigniacum donamus et de nostro iure in ius habendum prefati abbatis Bernoni videlicet vel successorum eius, qui ipsum locum dominaturi sunt sub instituta regula, sollenpni more transferimus, nulli ipsis iam dictis monachis contradicente, sed quiete hoc possideant in perpetuum. Ut autem huius nostri precepti auctoritas firmius credatur et ab omnibus inviolabiliter semper observetur et in dei nomine tocius firmitatis obtineat vigorem, manu propria eam subtus firmavimus et anuli nostri signum subtus in eam mandavimus affigi.

Signum domini Rodvlfii piissimi regis.

Data IIII id. decenbris anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi DCCCCIIII, indiccione VI, regnante domino Rodvlfio rege anno XVI; actum Nova villa; in dei nomine feliciter amen.